



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. XLVIII. An videns Deum, sicuti est quæ sunt in ipso formaliter
necessario videat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

facit, vel facere potest. Hoc enim esset comprehendere eius virtutem. Sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregor. loquitur quantum ad sufficientiam obiecti, scilicet Dei, quod quantum in se est, sufficienter continet omnia, & demonstrat. Non tamen sequitur, quod unusquisque videns Deum omnia cognoscit: quia non perfecte comprehendit ipsum.

Ad secundum dicendum, quod videns speculum non est necessarium, quod omnia in speculo videat nisi speculum visu suo comprehendat.

Ad tertium dicendum, quod licet maius sit videre Deum, quam omnia alia tamen maius est videre sic Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quam videre sic ipsum: quod non omnia, sed pauciora, vel plura cognoscantur in eo. Iam enim ostensum est, quod multitudo cognitorum in Deo, consequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.

Ad quartum dicendum, quod naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc sunt species, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns essentiali diuinam. Cognoscere autem alia singularia, & cogitata, & facta eorum, non est de perfectione intellectus creaturæ: nec ad hoc eius naturale desiderium tendit: nec iterum cognoscere illa, quæ nondum sunt, sed fieri à Deo possunt. Si tamen solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita repletur naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quæreretur: & beatus esset, unde dicit August. 5. confes. Infelix homo qui scit omnia illa, scilicet creaturas: te autem nescit. Beatus autem qui te scit, & etiam si illa nesciat. Qui vero te, & illa novit, non propter illa beator est, sed propter te solum beatus.

Conclusio est, Beati non omnia possibilia cognoscant in essentia diuina, vident tamen aliqua, & quisque eo plura, quo perfectius essentiam Dei videt. Communis opinio fert, ad comprehensionis naturam, necessarium esse, videntem nihil latere eius, quod sua visione comprehendit, ut disputat. 52. videbimus. Eorum vero, quæ complecti debet comprehensionis, & ad rem comprehensam pertinent, quædam sunt ipsi intrinseci, & in ea formaliter, ut propria prædicata, quædam autem sunt extrinseci, ut effectus, & hoc pacto creaturæ possibiles ad Deum referuntur: operæ pretium igitur erit, ex-

tequam de comprehensione in disputatione 52 differamus, examinare, an beatus præter ea, quæ in Deo sunt formaliter possit omnes illius effectus cognoscere, & quia de hoc disputat S. Thomas artic. 8. ideo placuit hos duos articulos simul explicare, & disputationes nostras sequenti ordine disponere.

DISPUT. XLVIII.

An videns Deum sicuti est, quæ sunt in ipso formaliter, necessario videat.

Quid Scotus, & alij cum ipso sentiant, cap. 1.

Communis, & verior sententia, cap. 2.

Explicatur locus 1oan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum, cap. 3.

Respondetur argumentis Scoti, cap. 4.

CAPUT I.

Quid Scotus, & alij cum ipso sentiant.

IN hac disputatione differendum est de attributis, & personis, an secundum omnem sui perfectionem, à Beatis necessario videantur cum essentia: in qua varie sunt Scholasticorum opiniones. Prima sit Scoti in 1. d. 1. q. 2. qui duo asserit, unum in §. *Quantum ad tertium*, nempe, non posse creaturam propria sua virtute, & facultate videre essentialiam, quin videat personas: neque voluntatem creatam frui essentiali, quin fruatur personis. De intellectu id probat, quia non est facultas libera, sed manifestato obiecto in ipsum fertur naturaliter, & necessario, ea ratione qua manifestum est: Deus autem ostendit seipsum in tribus personis: ergo non est in potestate intellectus in ipsum non ferri, prout est in tribus.

De voluntate vero ipsam probat, quoniam quamvis sit facultas libera, & in eius potestate sit frui, & dilectio Dei etiam in patria, ut ipse quoque docuerat eadem dist. q. 4. §. *Negatiua ipsius articuli*, tamen ei liberum non est, hoc aut illo modo frui, sed posito obiecto, si illo vult frui, eo modo debet frui, & diligere, ut obijciatur: quare si in tribus personis obijciatur, debet necessario ipsis personis frui, si in actum exire velit: nam licet in potestate alicuius sit operatio, qualis est actio peccati, ut illam faciat, & non faciat, ei tamen liberum non est, quin malitia sequatur eius operationem, si operetur. Hinc colligit, non solum de facto Deum videri in tribus personis, sed etiam non posse sine miraculo, alio modo videri: miraculum vero esset, si Deus ostenderet suam essentiam, non demonstrando personas.

Alterum docet Scotus in illa questione 2. §. *Posterior* *Quantum ad ipsum articulum*, videlicet posse à Deo fieri absoluta sua potentia, & præter communem cursum, & legem, ut sola videatur essentia, non visis personis, & una videatur sine alia: fore nihilominus perfectissimam beatitudinem. Hac autem sola visione fieri posse aliquem beatum, probat Scotus, quia Pater æternus in priori originis antequam intelligatur habere filium, sua ipsius essentia intelligitur beatus, nondum intellectis personis, ergo homo videns solam essentialiam sine personis, eodem modo esset perfecte beatus: posse autem essentiam diuinam videri, non visis personis, ex ipsius doctrina probare possumus: nam cum essentia à personis distingatur

ex na-

aliud lateat, non definit: & hæc satis de opinione Scoti, & de ijs, qui eam sequuntur.

CAP. II.

Communis, & verior sententia.

Opposita sententia, quæ in Scholis quidem communis est, mihi non solum probatur, verum etiam ex istimo, evidenti ratione eam demonstrari: est autem opinio, visione clara ita videri omnia, quæ sunt in Deo formaliter, ut vnum sine alio Beatus non valeat inueniri, nec essentiam sine personis aut contra: nec vnam personam sine alia: nec essentiam sine attributis, aut contra, nec vnum attributum sine alio, sic tradunt *Henricus quodlibet. 1. 3. q. 1. Caiet. 1. 2. q. 2. artic. 8. Dominicus Scotus in 4. d. 4. q. 3. artic. 3. concl. 2. in explicatione illius*, & recentiores Thomistæ communiter. Cæterum Scotus in ea conclusione affirmat, essentiam diuinam sine personis, non posse videri notitia apprehensiva (quam intuitivam vocat) bene tamen notitia indicativa; explicat autem hoc modo, ut notitia illa indicativa non sit ipsa visio, sed cognitio quedam, quam Beatus habet simul cum visione clara de ipso Deo, sicut habet in via: nam de clara visione, siue illa sumatur ut apprehensio, siue ut iudicium quoddam de Deo, eodem modo dicendum esse putat; nempe, essentiam sine personis, vel contra, videri non posse: & hoc mea quidem sententia fateri quisque debet, nam eadem visio Dei habet rationem quidem simplicis apprehensionis, & iudicii simul.

Hæc opinio vnica solariatione, eaque, meo iudicio, evidenti monstratur, supposito quodam principio, quod non minus evidenter, tum ex principiis fidei, tum ex naturali philosophia probabimus infra disp. 120. illud vero est, in Deo propter eius summam simplicitatem idem omnino esse essentiam cum personis, & cum attributis, & ipsa etiam attributa inter se, ita ut ex natura rei, nulla nec minima sit diversitas, vel distinctio, quare ex natura rei, nec sunt in Deo plures perfectiones, quas attributa nominamus, nec idem attributum latitudinem aliquam habet intensiōis, sed omnia hæc, quæ à nobis in via ob defectum cognitionis distinguuntur, in Deo sunt instar puncti omnino indivisi, quod ea disputatione probabitur. Hoc supposito nostram sententiam in præsentī questione sic probō: visio, quæ Beati Deum intuentur, ita est ipsius Dei, sicuti est, ut ipse ipse non aliter appareat in mente Beati, quam sit in se ipso, sed in se ipso est omnino simplex, nec aliquid in eo distinguitur ab alio præter tres personas, quæ inuicem realiter distinctæ sunt: ergo necesse est, ut cætera quæ à nobis hic, ut plura nominantur, ibi omnino indivisa appareant. Quod si intellectus Beati visione ipsa vnum videret sine alio, certe intra finem illius, non representaretur clare id, quod in Deo est, sed longe diverso modo: qui enim distinguit, non concipit rem proprio, quidditativo, & intuitivo conceptu, ut in disp. 13. probabitur.

Quare quod dicebant Ferrariensis, & Capreolus, Beatum præter visionem clarā Dei, quā omnia simul videt, posse formare de Deo plures conceptus veluti parciales, & inadæquatos, ut ea, quæ simul vnica videri visione, distinguat, absurdum etiam videtur: nisi dicant conceptus illos, veluti parciales esse, quales viator habet de Deo per alias

ex natura rei, ut ex sententia ipsius referemus infra disput. 120. sic, ut essentia sine tribus personis, vel sine qualibet illarum videri queat, id quod hæc etiam ratione confirmatur, & explicatur magis Sicut essentia communicatur Filio non communicata paternitate, & filio terminatur naturam humanam in Christo, non poterit videri essentia non visa persona, vel etiam contra: ita ut vna terminet clarā visionem, alia non terminante? Et quamvis Scotus in ea questione 2. §. *Ista questio*, solum proponat examinandam questionem de essentia, & personis, non tamen de essentia, & attributis, quia (inquit) nondum ostensum est, quomodo inter se, & ab essentia distinguantur; ex eius tamen doctrina idem omnino sequitur, videlicet posse videri essentiam sine attributis, & vnum attributum sine alio, quia in 1. d. 8. q. 4. affirmat distinguere ex natura rei ab essentia, & inter se.

In hac sententiam quatenus loquitur de visione vnius attributi sine alio, referuntur *Capreol. in 1. d. 27. q. 2. artic. 3. ad 8. Duran. contra primam conclus. Ferrariensis. contra gent. cap. 5. §. Quinta est*, imo & *Caiet. in hanc 1. p. q. 27. artic. 1. ad dubium tertium*, qui meo iudicio nihil tale docent. Afferit ergo Capreolus, Beatum vnicuique formare verbum essentiae diuine, & personarum, & omnium attributorum, plura tamen verba habitualiter de attributis, & de creaturis in Deo visis: unde aliquando plura, aliquando pauciora ab eo exprimi. Hanc opinionem refert Ferrariensis, nec tamen eam probat, aut vllam de hac re sententiam fert: ex hoc tamen non affirmat Capreolus, posse vnum attributum sine essentia, aut hanc sine personis videri: sed loquitur, aut de verbis expressis cogitatione non intuitiva ipsius Dei, qualem in via de ipso habemus; aut si de intuitiva loquitur, intelligit plura illa verba formari, ad distinguendum secundum rationem vnum attributum ab alio, ita tamen, ut sine verbo, quo tota essentia diuina cum attributis videtur, hæc verba distincte formari non possint.

Caietanus vero solum docet, Beatum non posse verbū exprimere adæquatum cognitioni, quam de Deo habet, eo quod plura cognoscit, quam verbo suæ mentis de ipso dicere possit, ut inde probet, videntes Deum sicuti est, nullum illius verbum exprimere visione sua, tantum abesse, ut aut sententiam Capreoli sequatur, aut Scoti faveat.

In eam quoque sententiam de attributis, allegari solet *Richardus in 3. dist. 14. artic. 1. quest. 4. ad ult. & Bonaventura art. 1. quest. 2. quod asserant*, Beatos aliquid scire de profunditate ipsius Dei. Sed nihil tale affirmant: solum enim docent, Deum non cognosci à Beatis omni modo quo postulat cognoscere, id quod ex parte modi cognoscendi, non ex parte rei cognoscere intelligunt. Ei tamen sententiæ fāvere videtur *Ferrariensis 3. contra gent. cap. 56. §. Pro solutione*, circa finem illius, qui asserit infinitatem Dei à Beatis videri secundum omnem intensiōis gradum, *Quantum ad quæ est*, (inquit ille) non distincte distinguendo in ipso omnem gradum cōfendi, & omnem habitudinem ad effectus, quos valet producere. Subiungit deinde Beatum non posse in Deo distinguere omnia, quæ in eo distinguere possunt, iuxta modum, quem ex Capreolo retulimus. An vero vnum sine alio in Deo videri possit, sicut Scotus contendit, ex ijs quæ in Deo dicimus esse formaliter: ita ut vnum appareat, &

Intuenti ali-
quit forma-
le Deo: neces-
sario appa-
retur om-
nia

6

Henricus
Scotus.

Omnia
Deo ex na-
tura rei sunt
idem cum
essentia

7

Vera senten-
tia ad hanc
sententiam

Ferrari-
Capreolus

8

Non possunt
Beati forma-
re in intuitu
Dei cōceptus
inadæquatos

nas species: sic enim nihil obstat, quominus Beatus plures perfectiones in Deo distinguat. At notitia aliqua clara Dei, quam vocant intuitivam, certe esse nequit, quæ distinguat ea, quæ in Deo sunt indivisa: quare nec multiplicari possunt plures de Deo conceptus. Sic igitur licet Beatus, imo & Deus ipse cognoscat plura in se ipso attributa distinguere a viatoribus, tamen nec Deus de se ipso, nec Beatus de ipso Deo, aliquod genus habent cognitionis, quo represententur distincta attributa, ut latius disp. 116. ostendimus.

Argumentum vero hæcenus factum probat, neque per divinam potentiam fieri posse, ut ipse clare videatur non visis personis, & attributis, nec aliquod attributum sine alio, nec in eodem attributo aliquid videatur, alio non viso, sed totum penitus necessario cognoscatur, quod omnino sit individuum, & simplex. An vero cognoscant Beati omnem respectum, quem Deo tribuimus ad creaturas sub esse possibili, vel futuro, sequenti disp. videbimus.

Porro, si distinguerentur ex natura rei in Deo attributa inter se, & ab essentia, & hæc etiam a personis; difficultas esset, an sine miraculo, secundum naturalem ordinem rebus præscriptum, unum sine alio videri posset. Scotus supposito illo principio, docuit, nihilominus non posse fieri; rationem quoque illius iam retulimus, quia scilicet manifestato semel obiecto clare, sicuti est, non potest Beatus intellectum cohibere, quo minus in totum penitus feratur: quod si ipse intelligat ita, ut manifestatio quædam clara ipsius Dei actu præcedat visionem, est omnino falsum: nam tota Dei manifestatio est ipsa visio: quamvis autem supposita visionem, non possit non intellectus videre totum, quod ipsa repræsentat: bene tamen posset ita elicere visionem, ut unum sine alio repræsentatum intueretur, si principium illius suæ subderetur voluntati. Quocirca ad naturam principij, scilicet luminis gloriæ recurrendum est, ut videamus, an unum sine alio naturaliter videri posset, etiam si distinguerentur, ut Scotus putavit.

Dico igitur, si lumen gloriæ talis naturæ est, (sicut omnes supponunt) ut naturaliter secum rapiat intellectum ad videndum, nec sit, sicut alij habitus, quibus utimur, cum volumus, etiam si intellectuales sint, non posse secundum ordinem ipsi præscriptum, unum sine alio in Deo videri, quia æque naturaliter moueret intellectum ad unum, atque ad aliud. Dens tamen, quæ tu est omnipotentia, posset cum ipso concurrere ad eliciendam visionem unius, & non alterius. Si vero talis esset habitus, ut videretur intellectus illo sicut Beatus vellet, posset sane ipsum applicare ad visionem unius, & non alterius. Cum vero dicimus, posse videri essentia sine personis, si ex natura rei distinguerentur, & videretur lumine gloriæ pro voluntate: non dicimus eandem futuram visionem, quæ quodammodo variata, nunc esset essentia, & personarum; deinde essentia tantum: sed fore diuersas notitias numero differentes, euidentes, & claras, & (ut vocant) intuitivas rei, sicuti est, quarum vnâ quaque per se lumen gloriæ posset elicere.

C A P I T U L U M III.

Explicatur locus Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

EX dictis colligitur, non posse videri vnâ personam, alia non visa, quia licet inter se re ipsa

distinguantur, sicut tamen idem cum ipsa essentia: ex quo fit, ut vna persona in alia per circuminfusionem (ut loquuntur Theologi) esse dicatur, ac proinde, visa vna, alia in ipsa videatur. Quinimo aliqui putant, hoc esse expressum Ioannis 14. ubi cum Philippus postulasset claram visionem Patris eamque in solatium doloris, quem ex discessu Christi passuri erant discipuli, ipsis sufficere dixisset; respondit Christus: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* De hac clara visione secundum divinitatem, intellexisse videntur hunc locum Hilarius 7. de Trinitate, Athanasius in confessione fidei, ad Epilectum Nazian. orat. 39. num. 82. ubi dicit Filium Dei, ideo merito λόγῳ appellari, quod sit veluti Patris definitio, qua cognita, Pater ipse cognoscatur, & orat. 49. *Qui videt me, videt & Patrem, & non immerito, quia unitate substantia, & manifestate divinitatis vnus sunt, & augustinus. 1. de Trin. cap. 8. & in psal. 84. & 85. eodem modo intellexisse videntur.*

Aliqui vero Thomistæ Scotum vident hoc loco Ioannis, quoniam Philippo petenti claram Patris visionem, Christus Dominus respondit: *Qui videt me, videt & Patrem meum: quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem: non credis quia ego in Patre, & Pater in me est: hæc si diceret, cum sumus eiusdem omnino naturæ, fieri non potest, ut Patrem non videat, qui me ipsum viderit: ubi ex unitate naturæ colligit, unum sine alio cognosci non posse, non ex mutua personarum relatione: ut hac ratione etiam intelligamus, essentiam videri non posse sine personis.*

Verum, hæc expositio nec Patrum interpretatiōi, qui ex professo locum illum elucidarunt, nec contextui Ioannis quadrat. In primis hunc locum accurare tractant, Tertull. libro contra praxeam, cap. 24. Cyril. lib. 9. in Ioannem, cap. 37. Chrysostom. homil. 73. in Ioannem, Augustin. tract. 70. in Ioann. ex his tamen nullus dicit, Philippum a Christo postulasse claram visionem Patris, sicuti est, visionem inquam spirituales intellectus; quod si eam postulasset, quomodo Christus suo responso illi satisfacisset, dicens: *Qui videt me, videt & Patrem meum, siquidem neque sui ipsius claram visionem concesserat potestatem enim & Philippus respondere; Divinitatem tuam mentis acie nondum vidimus, sed corporeis solum oculis humanitatem cognovimus: non igitur miram, si tanto tempore tecum conuersati, te ipsum secundum divinitatem, & patrem, nondum clare viderimus: ergo ostende illum nobis clare, & sufficit nobis.*

Quod vero Philippus oculis corporeis Deum videre cuperet, idque postulaverit, docent Tertull. Chrysostom. & Cyrillus. Tertull. ait, *Et ideo fugiatur, patrem videre desiderans, quasi visibilem: & instrui visibilem eum in filio fieri ex virtutibus, non ex persona representatione; hoc est, non ex personæ ipsius secundum se ostensione; id ipsum sensisse Chrysostom. quare verba illa, *Qui videt me, videt & Patrem;* sic interpretatur, *Si quis me videt, & illum videbit. hoc est, nec ego, nec ille videri possumus. Philippus enim visus cognitionem quærebat. Quod vero subdit: Et non cognovistis me; sic explicat Chrysostom. Cum tot opera fecerim, quæ sunt Dei propria, non cognovistis me, quia sum carne circumdatus.**

Denique Cyrillus petitionem Philippi ad cor-poream visionem refert, non quod peteret divinam substantiam oculis corporeis intueri; sed quod Deum Patrem videre desideraret, in corporea aliqua figura, aut ignis, aut alterius rei; sicuti Pro-

Dubium.

Scotus, Scoti sententia.

Refutatur.

Dubij solutio.

11

Ioan. 14.

De clara visione divinitatis à qui postulat eam.

Augustinus.

Non querat contextus expositio, Tertullianus, Cyrilus, Chrysostomus, Augustinus.

Secundæ expositionis, Tertullianus, Chrysostomus.

13

Tertia expositio, Tertullianus.

Pro-

num in priori originis Beatum esse, quia cum sic intelligamus esse Deum, intelligimus summum bonum, quod formaliter est beatitudinis obiectum; tamen si visionem ipsam claram Dei consideremus, prout à parte rei ad Deum terminatur, non solum per se respicit diuinam essentiam coniunctam personis, ita ut si variarentur personae, non maneret hæc visio, verum etiam ipsa personae intra obiectum beatitudinis continentur: quare non solum hæc propositio: *Essentia diuina nos beat*, sed etiam hæc, *Tres personae nos beat*, est per se in quarto modo: ita enim per se conuenit essentiae diuinæ, Trinitas personarum, ut ea ablata essentia Dei non possit subsistere, idque per locum intrinsecum ex natura rei sequitur: si ergo personae per se dicuntur de essentia, & essentia per se dicitur beata visione sui in quarto modo dicendi per se, etiam personis per se conuenit.

Ad primum argumentum.

Scotus.

Sed omiſſa hac difficultate, ad posterius argumentum, quod in presenti locum habet, veniamus, dicimus igitur, ideo non posse essentiam sine personis, etiam de potentia absoluta videri, quia ex natura rei non distinguitur ab eis: impossibile autem est, ut libenter Scotus quoque concederet, id, quod ex natura rei est simplicissimum, & nullam in se distinctionem habet, si videtur, ut est, clara, & intuitiva notitia, in plura distingui; aut aliquid illius sine alio videri, cum non sit aliud. & aliud Essentiam vero non distinguere à personis demonstrabimus infra disp. 110. Nunc vero negamus id, quod assumitur in argumento, videlicet essentiam à personis, vel ab attributis, aut attributa inter se distinguere ex natura rei, sicut putauit Scotus, ut loco citato probabitur. Hoc autem fundamento ablato, nihil probat argumentum, ut diximus: quod si ex natura rei distingueretur, vnum sine alio videri posset, ut cap. 1. explicatum est.

20

Ad secundum.

Ad id, quod in confirmationem adducebatur, nempe, essentia communicatur, persona non communicatur: persona terminat naturam humanam, natura diuina non terminat humanam: respondendo, hæc propositiones, & similes, quas nominibus à nobis impositis enunciamus, non sufficienter probare distinctionem ex natura rei, inter essentiam, & personas, ut Scotus contendit, id quod & nos sufficienter ostendimus disput. citata: si vero sola distinctione rationis, nostro modo intelligendi, aliqua de persona enunciamus, quæ de natura dici non possunt, ut in exemplis positis; non probatur vnum sine alio clara, & intuitiva notitia videri posse; ad hoc enim ut vnum sine alio intueri valeamus, omnes fatentur, necessariam esse distinctionem ex natura rei. An vero eadem distinctio requiratur ad illas propositiones, quas diximus vere enunciari, non omnes concedunt. Scotus contendit inde recte probari distinctionem ex natura rei: nos vero ostendimus oppositum, quod si semel ostensum fuerit, distinctionem ex natura rei ex illis non colligi, sequitur nec vnum sine alio videri posse, ut iam notauimus.

DISPUTATIO XLIX.

An quicumque Beatus in Deo videat omnia possibilia, & futura.

Non omnia futura à Beatis videri, cap. 1.

Non omnia possibilia à Beatis videri, cap. 2.

CAP. I. & II.

CAPVT I.

Non omnia futura à Beatis videri.

Quælio proposita futura est, non de Christo; de hoc enim disputabimus in 3. p. q. 10. art. 2. neque de modo, quo Beati alia præter Deum videre dicuntur, an eadem visione, & verum ex vi ipsius visionis, qua vident essentiam diuinam, ea videant, an non: de hoc enim erit sequens disputatio: sed de numero rerum, quas præter Deum vident, an omnia alia præter ipsum, tam futura quam possibilia cognoscant.

Et quamuis de Christo varie Doctores senserint, ut loco citato videbimus; de alijs tamen Beatis nullus est, quod ego legerim, qui asserat omnia creata, quoad essentiam, & existentiam ab ipsis videri: refert tamen Durandus in 4. q. 9. q. 3. & S. Thom. q. 8. art. 4. fuisse quosdam qui dicebant omnia à Beatis in Deo cognosci.

Durandus. Opinio quæruniam.

Oppositam vero sententiam sequitur idem S. Thom. in hoc art. 8. & art. 110. q. 4. Durandus loco allegato, & ceteri omnes, quos sequenti disput. citabimus, S. Thom. quæ opinio si intelligatur de possibilibus, & futuris, ita certa est, ut sine temeritate negari nequeat. Ea vero probari solet ex Dionys. 7. cap. de diuinis nominibus, à medio, ubi docet, Angelos inferiores purgari à superioribus, & ad id inducit illud: *Quis est iste, qui venit de Edom?* Vbi inferiores Angelos Dionysius introducit, interrogantes, & inquirentes à superioribus mysteria incarnationis; id quod fieri non posset, si inferiores omnia nossent: purgari enim intelligitur, nisi ab ignorantis foribus non potest: de hoc tamen latius dicemus infra disp. 216. & sequenti.

Opposita v. 107. S. Thom.

Diuisus. Quis est iste, qui venit de Edom? 63.

Adducitur etiam illud: *Ut immotescat principibus.* & Ephes. 3. potestatis per Ecclesiam multis formis sapientia Dei. Vbi loquebatur Paulus de mysterio legis Euangelicæ, quod ipse predicabat, de quo dixerat fuisse abconditum à principio: verum de huius loci interpretatione, multa nobis dicenda sunt disputatione citata, ubi disceremus, utrum Angeli à principio reuelationem habuerint huius mysterij, an non?

Cæterum quod ad cognitionem attinet futurorum, quæ in Dei consilio dicuntur esse, hæc sententia optime probatur ex illo: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.* & *inuestigabiles via eius;* quis cognouit sensum Domini. Accedit illud: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in celo.* Constat autem eos tunc fuisse Beatos: ergo Beati non omnia futura norunt: quæ vero ratione ibidem dicitur: *Neque filius hominis* latius explicabitur 3. p. q. 10. art. 2. de illis, quæ ut probabitur disp. 229. Angeli non cognoscunt cogitationes cordis: ergo Beati non cognoscunt omnia futura.

Rom. 11.

Matth. 13.

Matth. 14.

3. Rati o pro futuris.

CAPVT II.

Non omnia possibilia à Beatis cognosci.

Cæterum, quod ad res possibiles spectat, non tam facile probari potest, non omnia à Beatis cognosci. S. Doctor, & recentiores Thomistæ probant, non cognosci, quia si Beatus omnia cognosceret, comprehenderet procul dubio essentiam Dei; at hoc est impossibile; imò ut quidam recentiores autumant, contra fidem: ergo non possunt Beati omnia cognoscere: id quod adeo verum putant, ut affirmant, nec de potentia absoluta, posse Deum omnium eorum notitiam in verbo, & essentia sua Beatis communicare: quia absurdum, quod

S. Thomas. Pro possibilibus.

Thomistarum.